



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola CCLXXXIV. Ioannis Papae VIII. Ad Barnimervm Comitem,  
Sacerdotes, &c. Ostendit sibi gratissimam fuisse eorum in sedem  
apostolicam obseruantiam. hortatur ad perseuerantiam. iubet legatos ad  
se ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

fit quod de hoc dicitur necne, dilectioni tuæ committimus, vt omni ex parte, diligentique cura, rei huius veritate comperta, quid super hoc excellentissimus doctor beatus Augustinus in libris de adulterinis coniugiis ad Pollentium dixerit; quidque beatus Innocentius papa vigesimo Epist. 2. sexto capitulo statuerit, relegens, secundum horum sanctionem ita diffinire procuret; quatenus animabus eorum per pœnitentiæ remedia subueniri possit, & corpora per tuæ sanctitatis prouidentiam secundum Deum in omnibus dirigantur.

## EPISTOLA CCLXXXIV.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD BARNIMERVM COMITEM, SACERDOTES, &c.

Ostendit sibi gratissimam fuisse eorum in sedem apostolicam obseruantiam. hortatur ad perseuerantiam. iubet legatos ad se mitti, quibus reuertentibus legatum suum se missurum pollicetur, cui ipsi fidelitatem iuxta ecclesiæ ritum promittant.

*Excellentissimo viro Barnimero glorioso comiti & dilecto filio nostro, atque omnibus religiosis sacerdotibus, & honorabilibus iudicibus, cunctoque populo pax, & gratia a Domino Iesu Christo.*

**A**VDITA per Theodosium venerabilem episcopum vtrum fide & deuotione, quam circa sedem beati Petri apostoli, & nostri pontificii vos habere cognoscimus, immensas Deo gratias referentes, magno gaudio sumus repleti; qui vos nunc ad tantam gratiam perducere, & inter oues suas connumerare dignatus est, secundum quod Dominus ipsi principi apostolorum commisit, dicens: *Si diligis me Simon Petre, pasce oues meas.* Vnde Ioan. 21. vestram fidelitatem, & Christianissimam deuotionem, his nostris apostolicis literis admonemus & exhortamur, vt sicut diuina inspiratione agere cœpistis, vsque ad finem perficere, & obseruare non prætermittatis: quatenus qui sub ala & regimine, atque defensione beati Petri apostoli, & nostra, toto conamine vos subdere, atque in eius seruitio perseuerare, quasi dilecti filii procurastis, apertius hoc ostendatis, atque impleatis, vt Dominus in euangelio dicit:

*Concil. Tom. 24.*

T t ij



*Matth. 5.*

*Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant bona opera vestra, & glorificent patrem vestrum, qui in caelis est.* Et ut ita hoc per orbem terrarum vestrae sponfionis diffametur, ut auxiliante Domino, & sanctorum apostolorum suffragantibus meritis, ea quæ saluti & vtilitati omnium vestrum proficua sunt, possimus ad honorem & exaltationem sanctæ sedis apostolicæ incunctanter perficere, sicut nomine vestro scripta nobis mandastis, ita in libro caelesti scripta nobis permaneant. Quapropter mandamus, ut reuertente ad vos dilecto episcopo vestro, idoneos legatos vestros præsentialiter ad nos dirigere non prætermittatis, qui pro parte omnium vestrum nos & sedem apostolicam consulant de his quæ mandastis, ut & nos cum illis missum nostrum dirigamus ad vos, quibus secundum morem & consuetudinem ecclesiæ nostræ, vniuersus populus vester fidelitatem promittat. Interim monemus, ut constantes permaneatis, quoniam scriptum est: *Melius est votum non vouere, quam post votum promissa non implere.* Spiritus Domini, qui orbem terræ repleuit, repleat vestrum cor omni pace & gaudio in Christo Iesu Domino nostro.

*Eccles. 5.*

## EPISTOLA CCLXXXV.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

*Laudat eius studium erga sedem apostolicam, eumque monet, ut perseueret. pollicetur eum a se in amicorum numero referri. præcipit ut Romam veniat.*

**S**ICVT nobis per literas tuas, & verbo tenus, per Deum dedit religiosum presbyterum tuum mandasti, ut fidem & deuotionem, quam circa sedem apostolicam habere debes, te velle toto conamine conseruare indimintam asseras, gratanter suscepimus. Vnde te omnimodis admonemus, & his apostolicis literis exhortamur, ut nulla inimicorum calliditas, vel seductio amplius a nostra fidelitate quoquomodo valeat te remouere; sed secundum sponfionis tuæ tenorem in ea deuotissime permanere procures. Quapropter scito quia sine omni dubietate inter dilectos nostros te retinere volentes, volumus etiam & præcipimus, ut & pro necessitate ecclesiæ tuæ, & pro tuæ causæ vtilitatis, Romæ ad nostram apostolicam præsentiam